



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 10. Cardinalis Riarius totius Italiæ Legatus renuntiatus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæculi. XV. ductione Jubilæi ad vigesimum quintum
A.C. 1473. annum editam confirmavit, statuitque,
 ut deinceps annus sacer anno millesimo
 quadringentesimo septuagesimo quarto
 inchoetur a vigilia Nativitatis Domini-
 cæ. Ea quoque Bulla omnes ceteras In-
 dulgentias aliis Ecclesiis concessas toto
 Jubilæi tempore suspensas esse decla-
 ravit.

§. X.

*Cardinalis Riarius totius Italiae Lega-
 tus renuntiatus.*

*Papiens.
 epist. 548.*

Interea Petrus Riarius Ordinis FF. Mi-
 norum, Nepos Pontificis, & S. Sixti
 Cardinalis semper sumptu ac magnificen-
 tia extra modum amplissima Romæ
 prodiit. Eodem hoc anno duo instruxit
 convivia tanta profusione comparata, ut
 Cardinalis Papiensis affirmare haud du-
 bitaverit, quod illis *solemnius aliquid ve-
 tustas tota, nec gentilitas quidem audiverit*
 unquam

unacum Spondano Pagius his verbis pertrin-
 git: Castigandus est Spondanus, qui hoc di-
 ploma editum scribit anno 1473. quarto Ka-
 lendas Septembris; consignatur enim: *Pon-
 tificatus nostri Anno I.* Corrigendus pariter
 Continuator Hist. Eccl. Abbatis Fleury, qui,
 ut assolet, Spondanum transcribit.

unquam. Semel ejusmodi epulo regiae Sæcul. XV.
 magnificentiæ digno excipiebat Galliæ A.C. 1473.
 legatos; Iterum Ferdinandi Neapolitani
 Regis Filiam, Herculis Estensis Ferrariæ
 Ducis conjugem, quam etiam muneribus
 adeo splendidis auxit, ut hujus Cardi-
 nalis prodigalitas inde satis manifeste elu-
 ceret. Hanc profusionem Papiensis Car-
 dinalis in suis epistolis deplorat. Paulo
 post, eodemque anno Riazus a Pontifi-
 ce ejus Patruo Legatione primo per Um-
 briam, dein per universam Italiam au-
 ctus est, ubi in præcipuis urbibus cum
 ingenti pompa & splendore excipiebatur;
 non pauci enim fastus cupiditatem, qua
 hic Cardinalis tumebat, fovere stude-
 bant, ut inde sibi summi Pontificis bene-
 volentiam promererentur.

§. XI.

Regula FF. Minimorum a Pontifice confirmata.

Die vigesima tertia Maji (*) confirma-
 ta est a Sixto Pontifice Regula fra-
 trum Minimorum, a S. Francisco de Pau-
 la, ut jam alibi memoravimus, præscri-
 pta.

(*) Observat, & probat Pagius adversus
 Continuatores, hoc diploma editum fuisse anno
 1474. die 27 Maji, qui annus coincidit cum
 anno III. Pontificatus Sixti IV.